

# CLASSICS PART IB, LATIN LANGUAGE

## MICHAELMAS TERM, WEEK 1

### 1. Translate:

*Phaedra burns with secret desire for Hippolytus, and the nurse reports her symptoms to the Chorus.*

<Nvtrix> Spes nulla tantum posse leniri malum,  
finisque flammis nullus insanis erit.  
torretur aestu tacito et inclusus quoque,  
quamuis tegatur, proditur uultu furor;  
erumpit oculis ignis et lassae genae  
lucem recusant; nil idem dubiae placet,  
artusque uarie iactat incertus dolor:  
nunc ut soluto labitur marcens gradu  
et uix labante sustinet collo caput,  
nunc se quieti reddit et, somni immemor,  
noctem querelis ducit; attolli iubet  
iterumque poni corpus et solui comas  
rursusque fingi: semper impatiens sui  
mutatur habitus. nulla iam Cereris subit  
cura aut salutis; uadit incerto pede,  
iam uiribus defecta: non idem uigor,  
non ora tinguens nitida purpureus rubor;  
et qui ferebant signa Phoebae facis  
oculi nihil gentile nec patrium micant.  
lacrimae cadunt per ora et assiduo genae  
rore irrigantur, qualiter Tauri iugis  
tepedo madescent imbre percussae niues.

(Seneca)

## 2. Prepare:

*Cicero evokes pity for his client, Habitus, by describing the dubious sex life of his mother, Sassia. In particular, she seduced her son-in-law Melinus, shortly after his marriage to Cluentia (Habitus' sister).*

cum essent eae nuptiae plenae dignitatis, plenae concordiae, repente est exorta mulieris importunae nefaria libido, non solum dedecore, verum etiam scelere coniuncta. nam Sassia, mater huius Habiti – mater enim a me in omni causa, tametsi in hunc hostili odio et crudelitate est, mater, inquam, appellabitur, neque umquam illa ita de suo scelere et immanitate audiet ut naturae nomen amittat; quo enim est ipsum nomen amantius indulgentiusque maternum, hoc illius matris, quae multos iam annos et nunc cum maxime filium interfectum cupit, singulare scelus maiore odio dignum esse ducetis. ea igitur mater Habiti, Melini illius adolescentis, generi sui, contra quam fas erat amore capta, primo, neque id ipsum diu, quoquo modo poterat, in illa se cupiditate continebat: deinde ita flagrare coepit amentia, sic inflammata ferri libidine, ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiae, non hominum fama, non filii dolor, non filiae maeror a cupiditate revocaret.

**(Cicero)**

to be continued...